

EPISTULA LEONINA

CIII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TERTIAM (103) !

ARGUMENTA

1. DE SANCTO IOHANNE (III) – APOCALYPSIS.....04-15
2. CHARACTER MANUI ET FRONTI IMPRESSUS.....16-17
3. DE COMITIIS CIVITATUM UNITARUM.....19
4. NEGOTIATIO UBERIANA ET CERTATIO TAXIRAEDARIA...20-22
5. PLANTAE GENERIS, Q.E. SEMPERVIVUM.....23-29

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam tertiam. - Trilogiae Iohanneae partem tertiam quae est ultima Tibi nunc praebeo legendam. Agitur de Apocalypsi sive Revelatione. Mira sanê et arcana nobis pandit Iohannes Patmensis; animalia illa monstruosa describit vividissimê necnon atrocissimos illos Equites Apocalypticos. Dicant nonnulli: Num tales fabellae vim habent ad nos homines tertii millennii? Quantum valent ad nos talia omina antiquitatis formidulosa? Tolle lege mirare: insunt haud pauca, quae spectent ad aetatem nostram ipsissimam. Lege ea quae infra scripta sunt **de caractere illo mysteriali** (p.16sq.), quo absente nemo possit emere aut vendere. Corpus Iohanneum biblicum cum perlustraverimus, proximâ in Epistulâ Leoninâ novum thema tractabimus. Non iam agemus de theologiâ, sed de theobromate: Scripturi enim sumus **Theobromatologiam**, id est **Historiam cacaonis et socolatae**. Ergo manebimus in regionibus divinis: cacao enim a Carolo Linneo Aztecorum fidem secuto appellata est Theobroma, id est cibus divinus. -*

*Maximê autem gaudeo, quod hac in Epistulâ Leoninâ licet offerre symbolas duorum coryphaeorum Latinitatis contemporaneae: qui sunt **Paulus Kangiser** Chileanus Iacobopolitanus et **Marcus Cristini** Italus Brixianus. Utinam haberemus complures viros huiusmodi Latinissimos!*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. ,
die Dominico, 01. m. Maii, a.2016

**ECCE COMOEDIA
FRIDERICI DÜRRENMATT
IN LATINUM CONVERSA**



ROMULUS MAGNUS
(Romulus der Große)



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 31,90

Hic discus compactus textualis constat 31,90 € et directè per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM
TOLLE LEGE !



**ΕΓΕΝΟΜΗΝ ΕΝ ΠΝΕΥΜΑΤΙ ΕΝ ΤΗ ΚΥΡΙΑΚΗ ΗΜΕΡΑ
ΚΑΙ ΗΚΟΥΣΑ ΟΠΙΣΩ ΜΟΥ ΦΩΝΗΝ ΜΕΓΑΛΗΝ ΩΣ
ΣΑΛΠΙΓΓΟΣ ΛΕΓΟΥΣΗΣ Ο ΒΛΕΠΕΙΣ ΓΡΑΨΟΝ ΕΙΣ
ΒΙΒΛΙΟΝ...**

**FUI IN SPIRITU IN DOMINICA DIE ET AUDIVI POST
ME VOCEM TAMQUAM TUBAE, DICENTIS: QUOD
VIDES, SCRIBE IN LIBRO...**

APOCALYPSIS IOANNIS 1,10 sq. – Imago altaris quam a.1479 pinxit *Hans Memling*: Sanctus Iohannes ex insulâ Patmo spectat apocalypsin.

Revelatio Iohannis sive **Apocalypsis** (1,1: graecê: ἀποκάλυψις), est ultimus liber Novi Testamenti. Est unicus liber Novi Testamenti propheticus simulque scriptum spei et consolationis christianorum, qui in Imperio Romani supprimebantur. Iohannes auctor primâ personâ singulari narrans formâ septem epistularum in Apocalypsi primo se vertit ad septem ecclesias Asiae minoris, quae sitae sunt prope Ephesum, in regione orientali. Quae ecclesiae a Paulo apostolo ratione theologicâ instituti aut persecutionem patiebantur aut saltem valdê supprimebantur¹. Inde ex medio aevo Apocalypsis Iohannis dividitur in capitula viginti duo.

Auctor Apocalypsis quis sit.

Praepositis Ecclesiae prioris e secundo saeculo persuasum erat Iohannem narratorem primâ personâ singulari narrantem esse Iohannem apostolum (Ioh.21,2) sive auctorem Evangelii Iohannis, id est Iohannem evangelistam. At cum praepositi ecclesiae orientalis inter se dissentirent de hac re, ibi Apocalypsis per longum tempus non fuit pars scriptorum canonicorum.

Papias († ca. a.140) dixit hunc librum ab apostolo esse scriptum, item **Iustinus Martyr** († a.165): *Praeterea aliquis, qui apud nos fuit, nomine Iohannes, spectavit ad apostolos Christi, in Apocalypsi prophetizavit.*² Irenaeus expressis verbis dicit Iohannem apostolum fuisse auctorem Apocalypsis; hoc confirmatur a **Clemente Alexandrino** († ca. a.215) et a **Tertulliano** († post a.220). Origines († ca. a.254) scripsit: *Iohannes denique, qui recubuit in pectore Iesu, reliquit evangelium [...] Scripsit Apocalypsin.*

Haec sententia ab hodiernis exegetis europaeis non iam comprobatur (sed cfr chronologia). Causae huius sententiae reprobandae afferuntur aberrationes sermonis, argumentorum, formae. Reprobatores dicunt auctorem Apocalypsis sibi non postulare auctoritatem apostolicam, qualis sit Paulo. Quem ter afferre nomen suum (1,4; 9; 22,8),³ cum auctor Evangelii Iohannis nomen suum non afferat.⁴

Auctor Apocalypsis hodie a plerisque theologis habetur pro prophetâ fidei christianae priore, qui ipse se refert in gregem prophetarum; itaque loquitur de suis *fratribus prophetis* (22,9). Et sermone et cogitationibus apparet auctorem esse hominem Palaestinae iudaeo-christianum. Ipso in textu îdem scribit se vivere in insulâ Patmo ante Ephesum sitâ exulatum

¹ Jürgen Roloff: *Einführung in das Neue Testament*. Reclam: Stuttgart, a.2003, p. 248.

² *Dialog mit Tryphon*, 8,1,4.

³ Jürgen Roloff: *Die Offenbarung des Johannes* (Zürcher Bibelkommentare), 3. ed. Turici a.2001. p.16.

⁴ William Barclay: *Offenbarung des Johannes 1*, Neukirchen-Vluyn a.1970, p. 20.

(1,9).⁵ Itaque hic Iohannes apocalypsis a theologis anglophonis appellatur *Iohannes Patmensis (John of Patmos)*.

Acceptores

Opus est ratione epistulae conscriptum et destinatum septem ecclesiis Ephesiensi, Smyrnensi, Pergenae, Thyatirensi, Sardensi, Philadelphensi, Laodiceensi (1,11). At propter beatificationes et epilogum et numeri septenarii vim symbolicam verisimile est hoc opus pluribus hominibus esse dedicatum.⁶

Determinatio aetatis

Docti inter se dissentiunt, quando Apocalypsis scripta sit⁷. Et tempus posterius (81-96) et prius (68-69) affirmantur causis gravibus⁸. *Iam patres ecclesiastici dissenserunt, utrum Apocalypsis scripta esset aetate Neronianâ an Domitianâ* (Schirmmacher), nonnulli utramque sententiam affirmaverunt, etiamsi in scriptis variis⁹.

Determinatio posterior

li, qui sentiunt Apocalypsin scriptam esse Domitiano regente (ca. a.95), nituntur auctoribus ecclesiae prioris, quales sunt Victorinus, Hieronymus, Irenaeus¹⁰, Eusebius, qui referunt Iohannem aetate Domitiani versatum esse in insulâ Patmo¹¹. At quia exilium Iohannis fortasse iam prius est inchoatum, non necesse est chronologiam dependere a quaestione auctoris.

Thesis temporis posterioris defenditur statu rei publicae, quae in Apocalypsi apparet valere: Cum in Actibus Apostolorum Roma adhuc appareat potestas politica, cuius gratiâ Paulus iure civitatis praeditus servatur, in Apocalypsi nihil est nisi probrosa (Roma appellatur meretrix Babylon, Apc.17). At hoc argumentum haud minus valet ad aetatem

⁵ [Jürgen Roloff](#): *Einführung in das Neue Testament*, Stuttgart a.2003, p. 247sq. Quoad bibliam v. Apc.1,9.

⁶ Michael Bachmann: *Die Johannesoffenbarung*. In: Karl-Wilhelm Niebuhr (ed.): *Grundinformation Neues Testament: eine bibelkundlich-theologische Einführung*, Vandenhoeck und Ruprecht: Göttingen a.2000, p. 347-348.

⁷ Umfangreiche Darstellung der Positionen der letzten 200 Jahre in Kenneth L. Gentry: [Before Jerusalem Fell: Dating the Book of Revelation](#), Victorious Hope Publishing a.2010, ISBN 9-78-098-262060-1.

⁸ D. A. Carson, Douglas J. Moo, Leon Morris: *An Introduction to the New Testament*, Zondervan: Grand Rapids (MI), 1992, p. 473-476.

⁹ Thomas Schirmmacher: *Gründe für die Frühdatierung der Offenbarung vor 70 n. Chr.*, p.7 (PDF).

¹⁰ Irenäus: *Adv. haer.*, V, 30,3. Ut [Johann Jakob Wettstein](#) iam a.1751 demonstravit, interpretatio textus non est certa. Kenneth L. Gentry affert alios auctores, qui hoc quoque affirmant (*Before Jerusalem Fell*, p. 48+50-53).

¹¹ William Barclay: *Offenbarung des Johannes 1*, Neukirchen-Vluyn a.1970, p. 22.

Neronianam; nam Domitiano imperante nulla facta est persecutio christianorum maior¹², sed Nerone¹³.

Determinatio prior

li, qui docent librum scriptum esse aetate Neronianâ (ca. a.65–68), verba Irenaei ad hanc rem spectantia neque putant esse satis clarê dicta neque fide verê digna. Contra Clementem Alexandrinum clarê scribere revelationes apostolis factas finitas esse Nerone regente¹⁴. Clemens cum procul dubio putaverit Iohannem apostolum fuisse auctorem Apocalypsis,¹⁵ concludendum esse secundum Clementem etiam Apocalypsin Iohannis finitam esse sub Nerone.

Thomas Schirrmacher verbis effert tyrannum apud Clementem sine nomine commemoratum fortasse non valere certum quendam tyrannum, sed genus tyrannorum commune. Praeterea, si Clementis cetera dicta crederentur, futurum fuisse, ut Iohannes post exilium, i.e. aetate minimum nonaginta, maximum centum annorum, Epheso ex urbe magna itinera faceret, rapidê curreret et equitaret equo admissio. Difficile esse animo confingere talia facta esse a sene grandaervo.¹⁶

Exegetae permulti existimant bestiam numeri 666 (sescentesimi sexagesimi sexti) esse imperatorem Neronem. Si quis enim valores numerorum litterarum hebraicarum nominis, quod est Nero, addiderit (נרון קס"ו *neron kesar*), accipiet numerum 666 (sescentesimum sexagesimum sextum). At defensores determinationis prioris affirmant neque fuisse necessarium neque utile nomen Neronis ad notas secretas redigere nisi Nero adhuc viveret. Ceterum Neronem esse unicum imperatorem Romanum, cuius nomen compluries ad aenigmata numerorum redactum sit.¹⁷ Tamen restat quoddam dubium eo, quod fieri potuit, ut imperator posterior haberetur pro *Nerone redivivo*.

¹² F. J. A. Hort: *The Apocalypse of St John I-III: The Greek Text with Introduction, Commentary, and Additional Notes*, MacMillan: London, a.1908. p. xiv-xxxiii. - George E. Ladd: *A Commentary on the Revelation of John*, Wm. B. Eerdmans: Grand Rapids (MI), 1972, p.8: Nullo modo demonstrari posse ultimo decennio primi saeculi factam esse persecutionem ecclesiae apertam et systematicam.

¹³ Thomas Witulski thesin defendit inusitatum. Qui putat Apocalypsin scriptam esse aetate imperatoris Hadriani (117–138 p.Chr.n.), qui sit bestia ultimi temporis (*Die Johannesoffenbarung und Kaiser Hadrian*, Göttingen a.2007). At haec thesis Witulskiana a plerisque theologis recusatur..

¹⁴ Clemens: *Quis Salvus Dives*, incisum 7,17.

¹⁵ Clemens: *Quis Salvus Dives*, incisum 42; 6,13.

¹⁶ Thomas Schirrmacher: [Gründe für die Frühdatierung der Offenbarung vor 70 n. Chr.](#) (PDF, 280 KB) In: David Chilton: *Die große Trübsal*. Reformatorischer Verlag Beese, Hamburg a.1996, [ISBN 3-928936-12-3](#), p. 134-135.

¹⁷ Cfr SUET.*Nero*, 39,2 et oracula Sibyllinica: 5,28-31. Itaque John A. T. Robinson putavit Apc.13,18 esse „christianam varietatem ludi noti“. (*Wann entstand das Neue Testament?*, p. 246).

Fridericus Engels computavit Apocalypsin Iohannis scriptam esse brevissimè post Neronem, Galbâ imperante, a die 9. m.lun. a.68 usque ad d.15. m.lan. a.69. Septem capita bestiae (Antichristi) explicavit esse imperatores Romanos. Nam secundum famam quandam Galbâ imperante percrebrescentem Neronem (i.e. caput sextum) specie tantum mortuum esse, sed reverâ adhuc vivere et post caput septimum (i.e. Galbam) reversurum esse caput octavum (cfr Apc.17,8-11)¹⁸.



EQUITES APOCALYPTICI. A.1887 pinxit Wiktor Wasnezow.

Argumenta Revelationis sive Apocalypsis Iohannis

1. Praefatio 1,1-3
2. Septem epistolae 1,4–3,22
 1. Exordium epistulare – Salutatio septem ecclesiarum 1,4-8
 2. Visio mandati 1,9-20 *Iohannes visione a Christo caelesti iubetur omnia scribere quae videt.*
 3. Ad ecclesiam Ephesi 2,1-7
 4. Ad ecclesiam Smyrnae 2,8-11
 5. Ad ecclesiam Pergami 2,12-17
 6. Ad ecclesiam Thyatirae 2,18-29
 7. Ad ecclesiam Sardium 3,1-6
 8. Ad ecclesiam Philadelpiae 3,7-13

¹⁸ Friedrich Engels: *Das Buch der Offenbarung*; 1883; MEW 21:14 sq.

9. Ad ecclesiam Laodiceae 3,14-22

3. Visiones propheticae 4,1–22,5

1. Visio Dei caelestis in throno sedentis 4,1-11

Ante thronum Dei, de quo procedunt fulgura, voces, tonitrua, stant 24 throni alii, in quibus sedent 24 seniores. Circumcirca stant septem lampades ardentes et quattuor animalia plena oculis ante et retro (leo, vitulus, homo, aquila volans).

2. Liber sigillis septem signatus 5,1-14

Agnus a Deo accipit librum septem sigillis signatum

3. Septem sigilla quomodo aperta sint 6,1–8,1

1. Quattuor sigilla priora (Quattuor Equites Apocalyptici) 6,1-8

1. Primum sigillum 6,1-2

Equus albus apparet, eques (victor) habet arcum.

2. Secundum sigillum 6,3-4

Equus rufus apparet, eques habet gladium.

3. Tertium sigillum 6,5-6

Equus niger apparet, eques habet stateram.

4. Quartum sigillum 6,7-8

Equus pallidus apparet, eques vocatur „Mors“ et datur ei potestas super quattuor partes terrae.

2. Tria sigilla postrema 6,9–8,5

1. Quintum sigillum 6,9-11

Apparent animae martyrum postulantes iudicium

2. Sextum sigillum 6,12-17

Post terraemotum, solem obscuratum, lunam cruentatam, stellas delapsas caelum recedit sicut liber involutus. Homines in montes se abdunt.

3. Ecclesia servatur 7,1–17

144000 servorum Dei, qui oriundi sunt ex omnibus gentibus Israeliae, in fronte signantur sigillo. Turba hominum innumera omnium nationum ramis palmarum acceptis congregatur circa thronum Dei, et ab agno pascuntur.

4. Septimum sigillum 8,1-5

In caelo per dimidiam horam fit silentium.

Postea septem angeli accipiunt septem tubas.

4. Septem angeli tubis canunt 8,6–11,19

1. Quattuor tubae priores 8,6-13

1. Tuba prima 8,7

Grando et ignis, mixta in sanguine, ignis sanguini immixtus: Tertia pars terrae comburitur.

2. **Tuba secunda** 8,8-9
*Mons magnus igne ardens mittitur in mare.
Moritur tertia pars animalium marinorum et
tertia pars navium interiit.*
2. **Tuba tertia** 8,10-11
*Stella nominis absinthii cadit in flumina et fontes.
Multi hominum moriuntur aquis amaris.*
3. **Tuba quarta** 8,12-13
*Obscuratur tertia pars solis, lunae, stellarum.
Aquila dicit voce magnâ „Vae, vae, vae“.*
2. **Tres tubae postremae** („Vae“ triplex) 9,1–11,19
 1. **Tuba quinta** 9,1-12
*Aperitur puteus abyssi. Exeunt locustae cum rege
suo, cui nomen est Abaddon (Apollyon,
Exterminans), ut homines, qui non habent signum
Dei in frontibus, crucient mensibus quinque.*
 2. **Tuba sexta** 9,13-21
*Solvuntur quattuor angeli, qui alligati sunt in
flumine magno Euphrate. Tertia pars hominum
occiditur igne, fumo, sulphure, quae procedunt ex
oribus equorum. Tamen ceteri homines nolunt
paenitentiam agere.*
 3. **Mandatum res finales prophetandi** 10,1–11,2
*Angelus cum libello de caelo venit eumque dat
Iohanni devorandum. Quo in libello Iohannes
accipit calamum, quo metiatur templum Dei.*
 4. **Testimonium duorum prophetarum** 11,3-14
*Duo prophetae potentes prophetant per 1260
dies. Qui a bestiâ occisi iacent per tres dies et
dimidium in plateis, deinde spiritus vitae a Deo
intrat eos, et ascendunt in caelum. Terrae motu
decima pars civitatis cadit et occidunt 7000
hominum.*
 5. **Tuba septima** 11,15-19
*24 seniores Deo gratias agunt, quod regnat.
Templum Dei aperitur, et videtur arca testamenti.
Fiunt terraemotus et grando magna.*



MULIER ET DRACO. Apocalypsis Bambergensis,
Folio 29 verso, Bibliotheca publica, MS A. II. 42

5. **Satanas pugnat contra gentes Dei** 12,1–14,5

1. **Mulier et draco** („mythos Apocalypsis“)¹⁹ 12,1-18

Apparent mulier paritura et draco septem capitibus septemque cornibus instructus, qui filium eius vult devorare. Mulier parit filium, qui recturus est omnes gentes, et fugit in solitudinem, ubi maneat per 1260 dies. In caelo Michael eiusque angeli draconem eiusque angelos vincunt et in terram proiciunt. Draco (serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas) non id assequitur, ut mulierem vincat aquâ, quia terra absorbet aquam. Draco statuit, ut bellum gerat in mulieris prolem, et vadit ad litus marinum.

2. **Duae bestiae** 13,1-18

Bestia decem cornibus septemque capitibus instructa e mari ascendit. Ei datur potestas in alias gentes, Deo maledicit, Sanctos impugnat. Alia bestia duobus cornibus instructa, pseudopropheta, ascendit e terrâ. Quae cogit homines, ut adorent bestiam primam, et ut signent se ipsos numero nominis sui, i.e. 666.

3. **Agnus hominesque eius nomen habentes** 14,1-5

Agnus in monte Zion stat. Apud eum sunt 144.000 hominum, in quorum frontibus scriptum est nomen agni patrisque agni. 144000 hominum, qui sunt virginales,

¹⁹ Jürgen Roloff: *Die Offenbarung des Johannes*; Zürcher Bibelkommentare; Zürich: TVZ, a.2001³; p. 123.

ante thronum Dei cantant canticum novum, quod nemo didicit nisi iidem ipsi.

6. Iudicium 14,6–20,15

1. Annuntiatio iudicii 14,6-13

Tres angeli annuntiant iudicium novissimum et interitum Babylonis et poenam eorum, qui adorant bestiam primam. Vox quaedam dicit: „Beati mortui, qui in Domino moriuntur“.

2. Messis et vindemia 14,14-20

Quia fructus maturuit, filius hominum mittit falcem suam in terram. Angelus mittit falcem suam acutam in terram, ut vindemiet vineam terrae. Lacus irae Dei calcatur et ex eo sanguis exit.

3. Septem angeli habentes plagas septem novissimas 15,1

4. Victores bestiae cantant canticum Moysi servi Dei 15,2-4

5. Septem phialae irae Dei 15,5–16,21

1. Traditio phialarum 15,5-8

Septem angeli cum septem plagis ab uno de quattuor animalibus accipiunt septem phialas aureas irae Dei completas.

2. Prima phiala effunditur in terram 16,2

Fit vulnus saevum et pessimum in homines, qui habent characterem bestiae.

3. Secunda phiala effunditur in mare 16,3

Mare fit sanguis; omnia animalia marina moriuntur.

4. Tertia phiala effunditur super flumina et fontes aquarum 16,4-7

Aqua fit sanguis.

5. Quarta phiala effunditur in solem 16,8-9

Homines aestu magno aestuant. Tamen blasphemant nomen Dei.

6. Quinta phiala effunditur super sedem bestiae 16,10-11

Fit regnum eius tenebrosum. Homines dolent et blasphemant Deum caeli prae doloribus et vulneribus suis et non egent paenitentiam ex operibus suis.

7. Sexta phiala sexta effunditur in flumen Euphraten 16,12-16

Euphrat flumen exaescit. Tres spiritûs immundi in modum ranarum de ore draconis et bestiae et

pseudoprophetae congregant rēges totius terrae in proelium ad diem magnum omnipotentis Dei, in locum, qui vocatur Hebraicē Armagedon.

8. **Septima phiala effunditur in aërem** 16,17-21
Fiunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terraemotus magnus. Civitates gentium cadunt, omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Grando magna sicut talentum descendit de caelo in homines et blasphemant Deum homines propter plagam grandinis.



**MERETRIX BABYLON, Hortus Deliciarum,
 Herrad von Landsberg, ca. a.1180**

6. **Babylon meretrix et bestia** 17,1-18
Mater meretricum (i.e. Roma) sanguine Sanctorum inebriata sedet super bestiam coccineam. Angelus annuntiat et mulierem et bestiam interituras esse.
7. **De interitu Babylonis** 18,1-8
»Cecidit, cecidit Babylon magna«(18,2). »In unâ die venient plâgae eius, mors, et luctus, et fames, et igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam« (18,8).
8. **Querela fit de interitu Babylonis** 18,9-24
Rēges, mercatores, negotiatores flent et plangunt. »Exulta super eam caelum, et sancti Apostoli, et Prophetæ: quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de illâ«.

9. **In caelo iubilatur, nuptiae agni annuntiantur** 19,1-10
10. **Eques equi albi (Christus) vincit bestiam pseudo-prophetamque** 19,11-21
Equitem, qui vocatur Fidelis et Verax, „Verbum Dei“, „Rex Regum et Dominus Minorum“, sequuntur exercitûs caeli. De ore equitis procedit gladius ex utrâque parte acutus. Bestia et pseudopropheta devincuntur et vivi mittuntur in stagnum ignis ardentis sulphure. Reges terrae occiduntur in gladio equitis, et omnes aves saturatae sunt carnibus eorum.
11. **Regnum mille annorum** 20,1-6
Angelus draconem (i.e. Satanam) in vincula conicit eumque in mille annorum concludit abyssos. Omnes, qui adversus periculum Iesum testificati occisi sunt, perveniunt ad vitam (primam resurrectionem) et unâ cum Christo regent.
12. **Victoria finalis de Satanâ partâ** 20,7-10
Mille annis peractis Satanâ dimittitur omnesque gentes colligit ad Sanctos impugnandos. Ignis cadit de caelo, quo illi absumuntur. Satanâ in lacum inicitur sulphuris ardentis, ubi etiam sunt bestia et pseudopropheta.
13. **Iudicium mundi** 20,11-15
Conspectu magni throni candidi fugiunt terra et caelum. Liber vitae aperitur. Ceteri mortui resurgunt et iudicantur secundum opera ipsorum. Qui non inventus est in libro vitae scriptus, mittitur in stagnum ignis. Et infernus et mors mittuntur in stagnum ignis.
7. **Novus mundus Dei** 21,1–22,5
Oritur caelum novum et terra nova et nova sancta civitas Ierusalem parata, sicut sponsa ornata viro suo, duodecim portis duodecimque fundamentis instructa, quibus inscripta sunt nomina duodecim apostolorum. Deus habitat mediâ in gente suâ. Neque mors exstat neque dolor; neque templum, nam Deus est templum. E throno Dei et agni procedit aqua vitae, ad quam stant arbores vitae.

4. EPILOGUS 22,6-21

(7) Beatus, qui custodit verba prophetiae libri huius. ... (18) Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plâgas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiae huius, auferet Deus partem eius de libro vitae, et de civitate sanctâ, et de his, quae scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam venio cito: Amen. Veni Domine Iesu! Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. AMEN.

**VERBA QUAE IN SYMBOLA
ENCYCLOPAEDIAE WIKIPEDIANAE
INVENIUNTUR
DE APOCALYPSI IOHANNIS
SCRIPTA
IN LATINUM CONVERTIT**

Nicolaus Groß




<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS


CHARACTER MANUI ET FRONTI IMPRESSUS

APOCALYPSIS IOANNIS 13,16. Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in dexterâ manu suâ, aut in frontibus suis. (17) Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiae, aut numerum nominis eius.


COMPONENTS OF THE BIOCHIP



Assula magnitudine est grani oryzae non cocti.



Assula computatralis siphunculo cuti supponitur.



Verba Iohannis illa aenigmatica, quae spectant ad characterem, quo absente nemo potest emere aut vendere, subito intelleges sensu modernissimo, si deliberaveris de tali assulâ electronicâ ad pecuniam solvendam adhibitâ. Qui non habet assulam cuti implantatam, is neque potest vendere neque emere. Si quis gubernatoribus est persona non grata, botone semel tantum impresso eius assula dividitur a computo electronico, ut fame pereat mendico miserrimo pauperior. Scisne nunc, quare gubernatores non desinant nobis commendare, ut aboleamus pecuniam praesentem et numeratam? Attamen sunt non pauci homunciones generationis capitis demissi (*down head generation*), qui iubilantes talia praedicient animis inflammatis: Ecce boni homines novi – *Brave new world!**

HAEC SCRIPSIT NICOLAUS GROSS LEO LATINUS

*cfr <http://www.prisonplanet.com/articles/january2007/290107rockefellergoal.htm> "I used to say to him what's the point of all this," states Russo, "you have all the money in the world you need, you have all the power you need, what's the point, what's the end goal?" to which **Rockefeller** replied (paraphrasing), "The end goal is to get everybody chipped, to control the whole society, to have the bankers and the elite people control the world." cfr <http://new.euro-med.dk/20160124-implantable-hirn-schnittstelle-fur-ferngesteuerte-geistes-kontrolle-kommt.php>

ECCE COMOEDIA
BERTHOLTI BRECHT
IN LATINUM CONVERSA



NUPTIAE ABDERITANAE
(Die Kleinbürgerhochzeit)



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 22,00

Hic discus compactus textualis constat 22,00 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

DE COMITIIS CIVITATUM UNITARUM

Mense huius anni Novembri cives Civitatum Unitarum comitia generalia habebunt, ut Praesidem rei publicae eligant; candidati adhuc sunt, nominibus latinizatis, *Donaldus Trump* et *Iohannes Kasich* et *Eduardus Cruz*, qui est partis republicanae, atque *Hilaris Clinton* et *Bernardus Sanders*, qui sunt partis democraticae. Secundum consuetudinem constitutionalem utraque pars celebrat comitia primaria eo consilio, ut potior cuiusque partis candidatus in comitiis generalibus possit tandem vincere.

Donaldus Trump, negotiator ditissimus, natus anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto (1946) Neo-Eboraci, primum locum ex comitiis primariis nunc obtinet; promittit se operam daturum esse, ut gubernium sit minimum, ne magna vectigalia a civibus poscantur, ut commercium sit liberum et patria princeps colatur et firma in externos voluntas ut ostendatur et exerceatur. Idem cum loquatur infeste, sed sincerius quam politicus putatur loqui solere, multos electores allicit, qui sinceritatem magni faciunt, tamen non omnes republicanum eius postulationes fovent; nuper enim *Kasich* et *Cruz* pacti sunt, ne *Trump* pergeret in primariis vincere, unde gravis rixa intestina in Republicanis est orta. Nuperrime autem dicitur plerosque Republicanos putare *Donaldum Trump* esse tolerandum propterea, quod eo excepto candidatum potentem haberent nullum. Praeterea in contione a *Trump* Franciscopoli convocata cives adversantes turmatim cum *Donaldum Trump* sectatoribus conflixerunt; id in comitiis US-americanis antea factis non erat visum.

Apud democratam *Hilaris Clinton* in primariis adhuc vincit; quam comminus sequitur *Sanders*, qui propior socialismo esse videtur, nam aequalitatem civium progressui oeconomico praefert. *Hilaris* autem *Clinton* postulat Anglia ab Unione Europaea ne discedat propterea, quod praestantissima sit cooperatio transatlantica cum America Septentrionali; hanc quoque cooperationem, si Europa vere coaluisset, potiolem futuram Anglorumque vocem ab Europaeis clarisonam auditum iri.

Denique facile praedici potest *Donaldum Trump* et *Hilarem Clinton* electioni nationali interfuturos esse; sed difficile est praedictu, uter sit victurus; pessimum autem et periculosum US-Americanis esset contentio inter *Trump* et *Sanders*, quia cives in factiones fortiter adversantes dividerentur; sin autem *Donaldus Trump* cum *Hilari Clinton* velit victurus certare, ad mediam politicam partem se promovere deberet.

NEGOTIATIO UBERIANA ET CERTATIO TAXIRAEDARIA



In plurimis urbibus transportationis causa utimur vehiculis, quas taxiraedas vocamus et vecturae pretium, quod taximetro demonstratur, pecunia numerata solvendum est; anno autem 2009 *Travis Kalanick* in Civitatibus Unitis transportationis negotiationem condidit, quae *Uber* vocatur; huius vehicula telephono arcessimus et opportune accipimus; vecturae pretium chartula argentaria solvitur. Taxiraedae autem per vias continenter percurrunt, donec viator eis manu det signum stationis; hi taxiraedarii, quos iam nuncupare possumus vetustos, in Francogallia, Hispania, Brasilia aliisque in nationibus magnopere systema Uberianum refellunt repudiantque, immo interdum in istud agunt violenter. Huius belli causae hae afferuntur: primo usitatas taxiraedas gubernari secundum normas et legales et administrativas; at Uberiana vehicula libere transire; secundo taxiraedas registro publico inscribi indeque a magistratibus inspici, non ita Uberiana vehicula; tertio taxiraedariorum facultates vehicula gubernandi severe examinari; autoraedarios vero, qui Uberianis vehiculis moderentur, nullum subire examen vel minimum; denique illa Uberiana vehicula illegalia alias taxiraedas prava competitione commerciali iniuste vincere.

Ex altera parte Uberiana vehicula iisdem causis veteres taxiraedas de iure superant: primo, quod nova technologia utuntur et telephono, ut

dictum est, vehicula arcessuntur, indeque qui vecturam requirunt et qui vehiculum vacuum vehuntur inter sese conveniunt, sic ut uterque necessitatem suam adimpleat: illic vectura hic opera et lucrum; secundo, quod Uberiana autocineta remanent in area stativa, donec a quodam viatore telephono vocentur; taxiraedae vero vias percurrunt, donec vehiculorum efficiant constipationem; tertio, quod nomina autoraedariorum, qui raedis Uberianis moderantur, viatoribus telephono indicantur, praeterea viatores opinionem de moderandi habitu proferunt, ita, ut meliores raedarii saepius operam exerceant lucrumque amplius faciant; hoc modo mores autoraedam gubernandi fiunt meliores. E contrario taxiraedarii a viatoribus non aperte seliguntur neque prius examinantur, sed quasi incogniti sumuntur.



taxiraedarii systemati uber IN OLYSSIPONE reclamantes

His de causis systema Uberianum in sexaginta (60) nationum trecentis triginta (330) urbibus a viatoribus comprobatur, invitis taxiraedariis, qui pergunt conclamare bellumque gerere. At quid magistratus possunt facere ad hanc difficultatem evitandam? Possunt quidem praescribere, ut Uberiani autoraedarii legaliter laborent. Attamen hae regulae possint sanciri sub iis condicionibus: ne viatoribus noceant, neve proba competitio commercialis impediatur, neve innovationi technologicae obsistant; denique Negotiatio Uberiana in urbe Neo-Eboracensi taxiraedas vetustiores novo systemati voluntarie adscivit, ita ut omnes recentissimam technologiam usurparent neve rixas susciperent. Id est rationem colere et usui cotidiano favere.



**DE COMITIIS CIVITATUM UNITARUM
DEQUE CERTATIONE TAXIRAEDARIARUM UBERIANA
SCRIPSIT
PAULUS KANGISER
CHILIANUS PHILOGOGUS IACOBOPOLITANUS
*(Santiago de Chile)***

PLANTAE GENERIS, Q.E. SEMPERVIVUM, QUALES INSINT LITTERIS LATINIS

Sempervivum est genus familiae Crassulacearum, quod 52 species comprehendit, modo notas amatasque, modo fere incognitas. Plantae hae succulentae quoque nuncupantur, quia in foliis eorum multa aqua est, ita ut semperviva «crassa» videantur (hinc nomen familiae Crassulacearum). Semperviva a compluribus hominibus mulieribusque libentissime coluntur propter pulchritudinem et vigorem eorum. Plantae hae crescunt in montibus Europae, Asiae et (parum) Africae Septentrionalis, sed hodie etiam in Americam et Australiam allatae sunt. Credo nonnullos lectores lectricesque huius scripti semperviva in horto suo habere, quamquam fortasse nomen plantarum harum ignorant. Non multum dissimile est aliud genus Crassulacearum, id est genus *Sedum*, quod late in Alpibus crescit. Antiqui modernique seda et semperviva saepe inter se confundunt, sed ista duo genera succulentarum ratione botanica plane distinguuntur.

Succulentae plantae, quae ad genus *Sempervivum* pertinent, habent longam consuetudinem cum hominibus. Nomen ipsum enim est Latinum et significat plantam numquam morituram esse. Sed hoc falsum est: semperviva quoque obire possunt, si aer pessimus est vel si cultores eorum errant, ut aliquando accidit, in succulentis curandis. Semperviva, sicut alia magna genera plantarum, scientifice explorata sunt ab anno 1753^o demum, cum Linnaeus scripsit librum, qui inscribitur *Species plantarum*. Hic describuntur sex species sempervivorum (*S. arboreum*, *S. canariense*, *S. tectorum*, *S. globiferum*, *S. arachnoideum*, *S. montanum*). Praeter duas priores, botanici nominibus aliarum quattuor specierum usque ad diem hodiernum usi sunt et haec semperviva sunt inter amatissimas plantas huius generis. Sed quid sciebant homines de sempervivis ante Linnaeum?

Semperviva adsunt in nonnullis Latinorum et mediaevalium auctorum libris, non propter pulchritudinem eorum, sed illorum virtutum medicarum gratia. Nam antiquis temporibus plantae adhibebantur saepe pro medicamentis et speciositas herbarum non magni aestimabatur: servare vitam maioris momenti erat quam pulchrum hortum habere! At homines XXIⁱ saeculi et romani aliquid commune habent, id est turba nominum specierum. Etiam romanis et mediaevalibus temporibus enim semperviva appellabantur multis et diversis modis. Praeterea vocabant saepe docti et indocti eodem nomine plantas generis sempervivi et sedi et aeonii.

Clarius Latinus scriptor, qui de sempervivis agit, certe est Gaius Plinius Secundus (vel Plinius Maior, Comi A.D. 23° natus, ob eruptionem Vesuvii A.D. 79° mortuus). Miles, historicus et rerum naturalium peritus, fuit inter eruditissimos homines sui temporis. Pugnavit aliquibus annis in Germania Gnaeo Domitio Corbulone duce et post haec scripsit *Bella Germanica*, opus hodie, quod dolendum est, amissum. Inter annum 72^{um} et 74^{um} post Christum natum iter fecit per Hispaniam et Galliam consiliariusque imperatoris Vespasiani factus est. Eodem tempore scripsit librum qui vere appellari potest «*monumentum aere perennius*»: *Naturalem Historiam*. Hoc opus est mirabile summarium omnium quae auctores Latini Graecique de natura, animalibus, plantis, astris et medicamentis cognoscebant. Plinius fuit homo sapientiae cupidus (sed interdum parum diligens) et obiit propter hunc scientiae amorem. Anno 79° voluit enim eruptionem Vesuvii (qua Pompeii sunt deleti) propius spectare et hac de causa mortuus est. Sed de vita eius haec hactenus. Plinius in *Naturali Historia* agit (in libris XVIII° et XIX°) de planta, quae *aizoon* appellatur. Utitur hoc verbo et ad semperviva et ad seda nuncupanda, quae a Romanis non inter se distinguebantur, quia aequae crescebant et aequae virtutes medicas habebant. In libro XVIII° Plinius facit mentionem aliquorum praeceptorum Democriti et ait: «*Democritus suco herbae, quae appellatur aizoum, in tegulis nascens, et ab aliis aesum, Latine vero sedum aut digitillum, medicata seri iubet omnia semina*» (PLIN.nat. XVIII, XLV, 159). Palladius, Latinus auctor saeculi IVⁱ, a quo *Opus agriculturae* scriptum est, idem consilium praebet: «*Contra erucas semina quae spargenda sunt semperuiui suco madefiant*» (I, 35, 3).

Sed iterum Plinius: in libro XXV° describit aizoum et eorum faciem accuratius:

«Duo genera eius [aizoii]: maius in fictilibus vasculis seritur, quod aliqui buphthallon appellant, alii zoophthallon, alii stergethon, quia amatoriiis conveniat, alii hypogeson, quoniam in subgrundiis fere nascitur; sunt qui ambrosiam potius vocant et qui amerimnon, Italia sedum magnum aut oculum aut digitillum. alterum minusculum, quod erithales vocant, alii trithales, quia ter floreat, alii erysithales, aliqui isoëtes, Italia sedum, sed aizoum utrumque, quoniam vireat semper. maius et cubiti altitudinem excedit, crassitudine plus quam pollicari. folia in cacumine linguae similia, carnosa, pingua, larga suco, latitudine pollicari, alia in terram convexa, alia stantia ita, ut ambitu effigiem imitentur oculi. quod minus est, in muris parietinisque et tegulis nascitur, fruticosum a radice et foliosum usque ad cacumen, foliis angustis, mucronatis, sucosis,

palmum alto caule. radix inutilis» (XXV, CII, 160sq.).

Est verisimile plantam priorem aeonium esse, sed secunda videtur sedum aut sempervivum. Mentio, qua planta «ter floreat», difficilis est intellectu, quia «ter» significare potest «ter in anno» aut «ter in vita eius». Sed cum nec semperviva nec seda floreat ter in anno, coniectura haec falsa est. H. Regnat (paginis 122^a-124^a) dicit hanc plantam sedum esse, cum sempervivum post flores moriatur. Tamen ego ignoro sedum, quod moritur postquam ter floruit. Mea opinione Plinius refert hic fabulam quamdam, quae, nescio quomodo, cum numero ternario (3) coniungitur. Hoc enim numero homines semper quadamtenus fascinati sunt (lectores lectricesque cogitent de Capitolina Triade, quae fit a tribus deis: a Iove, a Minerva et a Luna).

Alter auctor Latinus, qui de sempervivis agit, est Lucius Iunius Moderatus Columella (circiter a. 4-70 post Christum natum). Qui militia perfunctus agricola factus est et scripsit libellum *De arboribus* et operam in XII libris quae inscribitur *De re rustica*. Hic sunt duae mentiones herbae digitilli. In libro XII^o Columella ait enim: «*Circa vernalis aequinoctium herbas in usum colligi et reponi oportebit: cymam, caulem, capparim, apii coliculos, rutam, holeris atrii cum suo caule florem, antequam de folliculo exeat, item ferulae cum coliculo silentem quam tenerrimum florem, pastinacae agrestis vel sativae cum coliculo silentem florem, vitis albae et asparagi et rusci et thami et digitilli*». Paulo post ait: «*Cymam, caule[m], capparim, pedem milvi, puleium, digitillum compluribus diebus sub tecto siccari, dum flaccescat*» (XII, VII). Adhuc incertum est, utrum digitillum sedum, sempervivum an utraque planta sit. Tamen Columella his verbis describit plantam haud minimam, certe non *Sedum album* vel *Sedum acre*. Itaque hoc potest sempervivum esse (duo Angli interpretes Columellae mihi assentiuntur, nam iidem utroque loco digitillum reddunt Anglico verbo «*house leek*»)


In Columellae libris non inveni alia indicia digitilli vel sempervivi (at in libro II^o breviter agitur de sedis, cuius suco contra erucas esse utendum iam Plinius meminerat). Tamen *Helmut Regnat* huius plantae meminit in symbola sua («*Sedum: il nome*») alio loco, ubi de sempervivis agitur: «*Sedum vel tabuli, sessum herba est quae in tectis nascitur, moderni sempervivum appellant alio nomine anagorum. Co*». Verba haec, ut ipse Regnat scribit, veniunt non a libris Columellae, sed a *Libris de re rustica* (scriptis anno 1533^o), collectione praeceptorum antiquorum auctorum de agricultura. Nunc ego nolo philologicam controversiam incohare, sed verba a Regnat allata neque sunt in editione Universitatis Harvardianae librorum Columellae, neque in *Bibliotheca Latina* (Anglice *Latin Library*, <http://www.thelatinlibrary.com/columella.html>), quae fortasse maior

collectio interretialis librorum latinorum est. Praeterea Pseudo-Columella utitur verbo «*moderno*», quod numquam adhibitum est temporibus aureae Latinitatis (confer *ThIL*, VIII, 1211). Auctores incipiunt hoc verbo uti temporibus Cassiodori (qui vixit VI^o saeculo, post 500 annos ab aetate Columellae!). Quae cum ita sint, arbitror haec verba non esse Columellae, sed auctoris cuiusdam subsequens, mediaevalis vel humanistici.



***Sempervivum tectorum*, prope oppidum Folgariam, in regione Italiae septentrionalis Tridentina**

Semperviva, praeter Plinum Columellamque, raro insunt aliquibus scriptorum minorum operibus. Pseudo-Apuleius, auctor libri *De medicaminibus herbarum* scribit, «*herbam sempervivum ad calidam et frigidam podagram* [sanandam utilem esse]». Marcellus Empiricus (civis romanus burdigalensis qui vixit inter IV^{um} et V^{um} saeculum) utitur verbo aizoo in libro suo *De medicamentis*. Theodorus Priscianus quoque, medicus qui IV^o saeculo vixit, agit de aizoo in suis *Rerum Medicarum Libris Quatuor*, sicut et Cassius Felix (qui vixit V^o saeculo) in opere suo, quod inscribitur *De medicina*. Huius auctoris opus perscrutandum est, cum ibi scribat de «*herbis semperviventis, quae aizon vocant*». Aizoon est hic iuxta



***Flos Sempervivi tectorum cum ape prope oppidum Folgariam,
in regione Italiae septentrionalis Tridentina.***

verbum, quod significat «semper vivere». Denique opus est Oribasium memorare, medicum imperatoris Flavii Claudii Iuliani Apostatae, auctorem magni operis, quod *Collectiones medicae* appellatur. Etiam hic agit de aizoo, «*quam Latini Iovis Barba adpellant*».

Quibus rebus cognitis potest intellegi iam saeculis argenteae Latinitatis nomen aizoom significavisse plantas, quae vocabantur Iovis barba vel sempervivens vel semperviva. Usque nunc in rebus investigandis adiutus sum *Thesaurο Linguae Latinae*, permagnum lexicon omnium vocabulorum Latinorum, quae inter III^{um} saeculo ante Christum et VI^{um} saeculo post Christum scripta sunt. Hoc lexicon perfectum est (et perficitur) a compluribus philologis Germanis. Opus hoc inceptum est anno Domini 1900° et nondum absolutum est. Lexicon enim pervenit ad litteram P et quam ob rem non potui mentiones vocabuli sempervivi definite indagare.

Antiqui docti reliquerunt tamen non solum descriptiones sempervivorum, sed etiam paucissimas imagines, inter quas celeberrimae sunt illae *Codicis Aniciae Iulianae* (seu *Codicis Vindobonensis*), pretiosi libri VIⁱ saeculi, qui continet opus Dioscoridei *De materia medica* scriptum.

Populus Constantinopolitanus dedit hunc codicem Aniciae Iulianae, filiae Flavii Anicii Olybrii, qui fuit inter ultimos imperatores Hesperii Romani Imperii. Is liber continet aliquas pulcherrimas imagines aizoi; ibi quadam imagine depingitur *Sempervivum tectorum* (*Aizoum to mikron*).

Si transimus ad Medium Aevum, copia fontium non est tanta, quanta est temporibus aureae Latinitatis, sed semperviva non dilabuntur a codicibus. Carolus Magnus scripsit enim anno 812° chartam, quae appellatur *Capitulare de villis vel curtis Imperii*. Hoc in opere imperator imperat: «*Et ille hortulanus habeat super domum suam Iovis barbam*» (70). Rex imperavit hoc compluribus de causis: semperviva adhibebantur propter effectus medicos et putabantur, ut seda, repellere fulmina. Etiam saecula mediaevalia reliquerunt nobis nonnullas imagines sempervivorum. Inter eas memoranda est illa imago *Sempervivi tectorum*, quae in libro herbarum (Germanice *Kräuterbuch*) Ioannis Hartlieb (scripto circiter anno 1462°) continetur. In hoc libro dicuntur semperviva fulmina repellere, iecur sanare et (incredibile dictu!) ex duobus carnibus unam facere.

Deinde memorare velim Guillelmum de Conchis, philosophum Gallum, qui vixit circiter inter annum 1090^{um} et annum 1154^{um} post Christum. Scripsit librum, qui *Dragmaticon* appellatur. In eo finxit ducem et philosophum *De his quae in terra continentur* una loqui. Hic dicit dux: «*Quaedam videmus in aestate et hieme uirere, ut est berberis, hedera, semperuiua*» (VI, 6, 5). Hoc relato facile est intellegere semperviva saeculo XII° tam nota fuisse, ut homines uterentur his plantis in dialogis philosophicis ut difficiles notiones explicarent.

Ad extremum licet dicere, semperviva nota perspectaque et romanis et mediaevalibus temporibus esse. Homines his utebantur, ut semina detergerent, ut aegros sanarent, ut magicas potiones facerent. Plinius, Columella alique scriptores ostendunt rura camposque exornata esse sempervivis iam temporibus Imperii Romani, cum Caesares Europam ex urbe Roma regebant legionibus Latinaque humanitate.

BIBLIOGRAPHIA

L. J. M. COLUMELLAE, *On Agriculture*, vol. I^{um}, translated by H. Boyd, Harvard University Press, London 1977.

L. J. M. COLUMELLAE, *On Agriculture*, vol. II^{um}, translated by E. S. Forster and E. H. Heffner, Harvard University Press, London 1979.

LEXICON RECENTIS LATINITATIS, Libreria Editrice Vaticana e Lempertz GmbH, 1998 (liber electronicus)

H. REGNAT, *Sedum: il nome*, in *Cacus & Co.* 2 (12), 2008, pp. 118-126 (in interreti commentarium invenitur hic: <http://crassulaceae.net/sedummenu/36-genresedum/980-sedum-il-nome-the-name-it-en>).

THESAURUS LINGUAE LATINAE (ThL), vol. I^{um}, Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri, 1900, *sub voce* Aizoon.

THESAURUS LINGUAE LATINAE (ThL), vol. V^{um}, Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri, 1919-1934, *sub voce* Digitellum.

M. WERNER, *Avonia* 28(4), pp. 116-118.

<http://www.thelatinlibrary.com/columella.html>



MARCUS CRISTINI (*1992)

Italus Brixianus Laureatus
Universitatis Catholicae
Sacri Cordis Mediolanensis

DE PLANTIS GENERIS

**BOTANICI, Q.E. SEMPERVIVUM, DEQUE
TESTIMONIIS EARUNDEM ANTIQUIS,
PHOTOGRAPHEMATIS ADIECTIS SCRIPSIT**

MARCUS CRISTINI

ITALUS BRIXIANUS

ECHUS VOCES

THALIA VOLLSTEDT STUDIOSA DISCIPLINAE GERMANISTICAE NECNON ARTIS RHETORICAE ALUMNA GYMNASII ULMENSIS HUMBOLDTIANI

d.18. m.Apr. h.22.48 (*Latine reddidit LL*)

Care Domine Groß! Excusa, quaeso, quod nunc demum rescribo; septimana proxima praeterita, ut priores quoque, fuit turbulenta. "Laborintus"* nunc re vera metae appropinquat**. Dominus Dr. Vollmann, qui incepto moderatur, una mecum semestri hiemali versionem iterum excussit. Nunc commentarium scribimus. – Magno autem mihi honori sit de hoc labore aliquid referre in „Epistulis Leoninis“. Si permiseris, de hac quoque re breviter colloquar cum Domino Vollmann. Fortasse ille quoque velit proferre sententiam suam. Medullitus te salutatur mox te rescripturum esse sperans, Thalia.

*) „Laborintus“ est titulus carminis mediaevalis didactici, quod saeculo decimo tertio de arte poetica scriptum est ab Eberhardo Bremensi. Titulus compositus est ex verbis quae sunt labyrinthus et labor.

***) metae appropinquat (sensu translato) orig. «befindet sich auf der Zielgeraden»

d.19. m.Apr. a.2016 h.05.24

Cara Thalia, scilicet mea maxime intersit de hac re plura accipere. Gaudeo, quod bene progredieris in opere perficiendo. Mox plura, medullitus te salutatur Nicolaus Groß.

d.28. m.Apr. a.2016 h.01.31

Care Domine Groß! Hodie diutius collocutus sum cum Doctore Vollmann. Qui valde gavisus est, quod nobis "Epistulam Leoninam" obtulisti, ut in eadem referremus de *Laborinto* tractando. Praeterea dixit se libenter velle propius noscere te. Hoc si qua occasione data contigerit, equidem vehementer gaudebo. Quoad textum in "Epistula leonina" publicandum: Statim velim rem inchoare; sed restat, ut quaeram: Estne mihi scribendum Latine? Mox rescribas! Medullitus te salutatur Thalia.

d.30 m.Apr. a.2016 h.19:50

Cara Thalia, valde gaudeo, quod de laboribus tuis laborintianis referes in Epistula Leonina. Nunc primo scribas theodisce, ut celerius progrediaris; quod scripseris, Latine reddam versionemque meam mitto, ut revideas. Scilicet vehementissime gaudebo, si quando ipsa scripseris relationes Latinas. Horis tuis subsicivis incipias, quaeso, scribere Latinos textus breviores, e.g. epistulas. Libenter te adiuvabo in talibus exercitiis stilisticis faciendis. Ut diem septimanae finalem degas recreabiliter et ut «Labores Laborintianos» tuos perficias maximo cum gaudio successuque prosperrimo medullitus tibi exoptat Nikolaus Groß.

PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

Sun, 24 Apr 2016 15:59:54 -0300

Paulus Nicolao s.d.

Tibi adiungo scriptulum de taxiraedariis, qui contra systema Uber bellum indixerunt. Si ad Epistulam Leoninam non fuerit aptum, fac me certiore ut Stanislao proponam. Nunc ipsum accepi Epistulam Leoninam CII quam parumper inspexi, ibique vidi de evangelista Sancto Iohanne vestigationem vere attractivam. Postea libens legam. Cura ut optime valeas.

Nicolaus Paulo sal.pl.dic.

Care Paule, gratias tibi ago pro relationem tuam taxiraedariam. Quam libenter publicabo. Semper me delectas epistolis tuis symbolisque.
Medullitus te salutatur Nicolaus **LEO LATINUS**

Paulus Nicolao s.

d.24 m.Apr 2016 h.18:03

Si potes adiunge photographema taxiraediarium.Gaudeo quod crebras epistulas edis. Vale.

Paulus Nicolao s.d.

d.30. m.Apr. a.2016 h.18.08

Gaudeo quod Epistulam Leolatinam hebdomadalem nunc edis, utinam olim cottidianam. Tibi adiungo scriptulum de comitiis Septentrioamericanis, quod edere possis, nisi aptius Ephemeridi putes. Et adiungo photographema, quod postulaveras. Cura ut valeas.

Nicolaus Paulo s.

Care Paule, gratias tibi ago pro relatione et photographemate! Quae libenter publicabo. Exopto, ut degas diem Dominicum laetabilem et recreabilem. Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Nicolaus LEO LATINUS

MARCUS CRISTINI ITALUS**Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.**

Gaudeo quod commentariolum meum libenter legisti. Laetus ero, si illum in Epistula Leonina aliqua publicaveris. Paratus sum ad errores meos corrigendos, scio saepe menda adesse in scriptis meis (nam, ut ait clarus poeta Goethe, errat homo, quamdiu is aliquid expetit, Germanice, *es irrt der Mensch, solang er strebt*).

Semperviva, quae photographavi, sunt omnia mea, praeter *Sempervivum calcareum*, quod ego in horto herbario Mogontiacy photographavi, *Semperviva tectorum*, quae prope Alpinum oppidum Folgariae vidi et imagines Vicipaediae, quae facile in interreti decarriantur. Post epistulam electronicam hanc conabor Tibi photographemata minoris capacitatis electronicis. Praeterea, si vis, potes ea secare vel minuere quantum Tibi placet. Cura ut valeas Marcus Cristini

LEO LATINUS MARCO CRISTINI SAL.PL.DIC.

Care Marce, gratias plurimas ago pro relatione tua pulcherrimisque imaginibus. Bene scribis mirumque in modum botanicas res coniungis cum historicis. Visne haec publicare in Epistula aliqua Leonina? Pauca verba paululum mutanda esse videntur (e.g. confundis operam cum opere). Sed quid de iuribus imaginibus publicandi? Et de earum capacitatae electronica (quae est nimia)? Scribe, quaeso, quid sentias. Ceterum in proxima EL leges de palmis. Spero has quoque plantas (quas Martius botanicus dicit esse omnium plantarum principes) tibi placituras esse. Vale pancratice, et semper vive, sempervivi peritissime! Medullitus te salutatur LEO LATINUS

Marcus Cristini Nicolao Groß s.p.d.

d.22. m.Mart. a.2014 h.19.01

Libenter legi in Epistula Leonina 71 de malis Hesperidum et de eorum historia. Nam et ego paulum studeo plantis, praesertim plantis succulentis (quae dicuntur) familiae Crassulacearum. Nonnullae species Crassulacearum etiam in solo Europae crescunt (exempli gratia genera Sedum et Sempervivum) et homines habent longam consuetudinem cum his. Etiam Romani antiqui Crassulaceas generis Sempervivi bene cognoscebant et utebantur iis ad valetudinem roborandam. Hoc inveni cum, curiositate motus, quaesivissem notitias de sempervivis in operibus auctorum Latinarum. Res mihi scitu digna visa est, sic scripsi commentariolum de sempervivis in Latinis litteris. Ego illud Tibi una cum epistula electronica hac mitto ita ut, si vis, mihi opinionem tuam scribere possis. Post hanc epistulam electronicam Tibi mitto alias epistulas cum imaginibus photographis Sempervivorum aliquorum. Optime vale Marcus Cristini

SUPPLENDA ET EMENDANDA

EL 102, p.2, lin.12 excogitatum (non: excogitatam)

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM TERTIAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, 01. m.Maii a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>